3 2044 107 265 662

Taf
.B65.



FACVLTATIS MEDICAE

IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANVS

D. GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMER

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACAD. SENIOR PHYSICVS PROV.
SOCIET. OECON. LIPSIENS. SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

D. XI. MENS. OCTOBR. CIↃIↃCCXC.

HABENDAM

INDICIT

ET

TABVLARVM SYNOPTICARVM, QVIBVS GENERA PLANTARVM DISPONVNTVR, EXEMPLA

PROPONERE PERGIT.

Tabularum ſynopticarum, quibus genera plantarum diſponuntur, exemplis, ex RAII, VALENTINI et KRAMERI ſcriptis nuper mutuatis, cum illa partim propter methodum, partim propter ipſam diſpoſitionem laudare et commendare non potuerimus, nunc alia et eiusmodi addamus, quae et reſpectu ſyſtematis, et tabularis conſtructionis aeſtimationem merentur. Deſumſimus illa ex LVDWIGII, WEDELII et WEIZENBECKII ſcriptis. WACHENDORFIVS quidem plantas, in Horto Vltrajectino cultas, tabulari etiam methodo ordinauit; attamen Tabulae ipſae vſui inſeruire nullo modo poſſunt, cum neque vltima genera a ſe inuicem ſint diſtincta, ſed plura ſaepius, vno et generali charactere conuenientia, coniunctim relicta, vti in priori Proluſione de VALENTINI diſpoſitione notauimus; neque claſſium, ordinum, atque reliquarum ſubdiuiſionum inſcriptiones intelligi poſſunt, niſi earum expoſitio taedioſo demum labore inuenta fuerit; Termi-

nos enim et vocabula vbique adhibuit, vt dici ſolet, ſeſquipedalia, ex pluribus graecis compoſita; e. gr. ſcheſiopetaloſtemones, pollaploſtemones, eleutheromacroſtemones, homojodiperianthae et ſ. p.

Lvdwigivs, qui, ceu notum, Riuinianam et Linnaeanam methodum apte ſatis combinauit, in Inſtit. Regni vegetabilis plantarum officinalium, culinarium aliarumque, ſponte circa Lipſiam creſcentium, genera in tabulis, concinno nexu diſpoſitis, exhibuit et dum harum ſpecimen proponere voluimus, elegimus ſtatim claſſem primam;

Plantarum ſcilicet, quae ſlorem monopetalum regularem proferunt; ſunt illae:

I. Diantherae, monoſtylae, tubo corollae
- A. breuiſſimo Olea.
- B. longo
  - 1. capſula biloculari Lilac
  - 2. bacca
    - a diſperma Iaſminum
    - b tetraſperma Liguſtrum

II. Triantherae, monoſtylae, ſtigmate triplici
- a erecto Crocus
- b declinato ſtamina tegente Iris.

III. Tetrantherae
- A. monoſtylae ſtigmate
  - 1. ſimplici, capſula biloculari
    - a horizontaliter dehiſcente Plantago
    - b quadragona Sanguiſorba.

2. duplici

2. duplici
a) seminibus binis cortice tectis, corolla
1. plana vix tubulosa cortice seminum
α tuberculato Aparine
β laeui Gallium Cruciata
II. tubulosa, seminibus coronatis Sherardia.
b) bacca duplici Rubia.
B. distyla Cuscuta.

IV. Pentantherae
A. monostylae
1. thalamo fructifero, fructu delineato in
a) ouulis quatuor, stylo e medio surgente, orificio tubi petali.
1. nudo, calyce
α. tubuloso quinquedentato Pulmonaria.
β. quinquefido, limbo petali.
a. semiquinquefido erecto Lithospermum.
b. tubuloso ventricoso quinquedentato Cerinthe.
II. squamis ornato, petalo ipso
α. rotato Borrago.
β. infundibuliformi limbo petali.
a) tubulato ventricoso Symphytum.
b) semiquinquifido tubo petali.
1. inflexo Lycopsis.
2. recto calice expanso seminibus.
a. planis Cynoglossum.
b. oblongis Buglossum.
c. ouatis Heliotropium.
b) ouario simplici.

Haec ſufficiant. Et integrae huius et reliquarum omnium Claſſium diſpoſitiones applauſum certe merentur et imitationem; dolendum modo, Cel. Virum non ſyſtema totum, ſiue omnia, tunc temporis cognita, genera adduxiſſe eademque methodo ordinaſſe. Quod vero Ipſe non praeſtitit, vel praeſtare noluit, namque viam tantummodo monſtrare et alios ad eundem laborem excitare, in votis habuit, illud Cel. WEDELIVS perficere tentauit in Tentamine Botanico, cuius editio ſecunda, aucta et emendata, Ienae 1749. prodiit. Atque ex hoc Tabulae quoque, quae claſſem primam ſiſtit, particulam repetamus, quo vtriusque Viri ſelectus et diſpoſitio characterum, quibus infima genera determinantur, eluceſcat.

Plantae flore monopetalo regulari ſunt:

I. Diantherae, monoſtylae, petalo infundibuliformi, calyce monophyllo

1) quadridentato, tubulato, paruo, petalo quadripartito, tubo eiusdem calyce

a. quadruplo longiore, ouario oblongo, biloculari, in capſulam oblongam compreſſam abeunte, floribus in thyrſo Syringa.

b. duplo fere longiore, ouario ſubrotundo vniloculari, in baccam globoſam ſe conuertente, floribus in thyrſo Liguſtrum.

c. longitudine calycis, ouario oblongo vniloculari, in baccam ſubouatam deſinente Olea.

2) quinquedentato tubulato oblongo, tubo petali cylindraceo longo, limbo eiusdem quadrifido, vtplurimum quinquefido, nonnunquam ſexfido, ouario ſubrotundo biloculari, in baccam ſubouatam transeunte Jaſminum.

II. Tri-

II. Triantherae
A. monoſtylae ſtigmate triplici
α. conuoluto ſerrato, ſpatha monophylla Crocus,
β. maximo, laciniis petala mentientibus et ſtamina deprimentibus, ſpatha ſimplici, ouario triloculari triualui Iris.
B. Diſtyla, petalo valuoſo ad baſin dorſi ariſta longa praedito, calyce biualui Alopecurus.

III. Tetrantherae
A. Monoſtylae ſtigmate
1. ſimplici calyce
a. nullo, petalo erecto campanulato vix ſemiquadrifido, ouario ſubrotundo infra receptaculum in baccam nucleo vnico foetam deſinente Elaeagnus.
b. diphyllo ouario
1) quadragono biloculari, floribus in ſpica breui digeſtis Sanguiſorba.
2) ouato vniloculari, foemineo flore vnico inter duos hermaphroditos, floribus in verticillis denſis Parietaria.
c. quadripartito
α. erecto floribus in ſpica denſa, ouario ouato, ſeminibus pluribus foeto, biloculari, caule erecto
1) ramoſo Pſyllium.
2) non ramoſo Plantago.
β. patente laciniis corolla
1) longioribus limbo petali quadripartito plano, laciniis ſubouatis, ouario ſubrotundo vniloculari, caule triangulari, foliis alternis, floribus ex alis Centunculus.

2) non

2) non longioribus et petalo adnatis, limbo petali quadripartito, laciniis ouato lanceolatis, ouario ouato acuminato in tale semen definente. Alchemilla.

II. duplici ouario

α. simplici, calyce nullo, petalo campaniformi, segmentis 4. reflexis profunde incisis fol. cordatis Vnifolium.

β. gemino, calyce minimo germini insidente, foliis verticillatim positis etc. quorsum pertinent Cruciata, Galium et reliquae verticillatae dictae.

Ex hoc, dato nunc schemate, facile apparebit, Tabulas Ludwigianas Wedelianis omnino esse praeferendas, cum in his characteres saepe plures, quandoque specifici potius, quam generici, praeter necessitatem contineantur, et integrae quasi definitiones construantur, quibus disquisitio difficilis redditur. Praeterea etiam hae Tabulae aliis hinc inde vitiis laborant, partim enim plura genera, eo iam tempore cognita, omissa, partim alia ad hanc illamue classem relata fuerunt, ad quam minime pertinent.

Cel. Allionivs in Flora Pedemontana, quae prae omnibus, hactenus editis, amplissima existit et octingentas supra bis mille plantas continet, methodo quidem propria, ast in multis cum Ludwigiana conueniente, plantas quoque tabulari in ordine recensuit et propterea quoque specimen hic addamus:

Classis I. Plantae flore monopetalo simplici et quidem I. Gymnospermae, II. Gymnodispermae. A. flore plano B. fl. infundi buliformi, III. Gymnotetraspermae A. Distemones, B. Tetra-

Tetraſtemones, C. Pentaſtemones 1. ſquamulis in fauce 2. fauce nuda. IV. Angioſpermae ringentes, A. monangiae, B. diangiae 1. calyce non quinquefido 2. calyce quinquefido. V. Angioſpermae A. 1–4 ſtemones 1. corolla quatuor vel quinquefida, 2. corolla ſexfida. B. Pentaſtemones 1. monangiae 2. corollis infundibuliformibus, 3. corollis rotatis. C. Hexaſtemones, D. Octo- E. Decaſtemones. VI. fructu pulpoſo A. diſtemones, B. tri- C. tetra- D. penta- E. hexa- F. octo- G. deca- H. polyſtemones.

Vltimo loco Tabularum ſynopticarum, a Cel. Weizenbeckio conſtructarum, ſpecimen exhibeamus. Ipſum namque in libro *des* von Linne *Pflanzenſyſtem nach der 14ten lateiniſchen Ausgabe in Tabellariſche Form gebracht und vermehrt. München 1785.* plantas in tabulis ſynopticis diſpoſuiſſe et ita ſingulari ac proprio labore Syſtema Linnaeanum illuſtraſſe, aſſeruit; ſi vero Tabulas ipſas inſpicimus, facile apparebit, eas non tam a Weizenbeckio, quam potius ab Ill. Murray conſtructas et ex latina in germanicam linguam translatas fuiſſe, quatenus ſcilicet Ille characteribus diſtinctiuis, ſelectis et paucis genera definiuit. Meritum itaque Cel. Viri in eo tantummodo conſiſtit, quod characteres illos in tabularum ordinem redegerit, et quandoque, ſed rarius, nonnullos alios adiecerit. Comparemus inter ſe vtriusque Viri laborem, et clariſſime apparebit aſſertum noſtrum.

I. KLASSE. EINMÆNNIGE.

I. Einweibige.

A. *Die Blüten ſind einfädig, die Frucht hat Fächer und ſitzt unter der Blume.*

I. *Die*

I. *Die Blume iſt rachenförmig,*

a. *in 5 Lappen zerſpalten, mit einer groſsen zweytheiligen Lippe,* Marantha.

b. *mit einer dreyſpaltigen Lippe, in der Mitte iſt ſie ausgerandet,* Coſtus.

II. *Die Blume iſt viermal getheilt mit eyrunder Lippe und 4 unfruchtbaren Staubgefäſsen,* Curcuma.

III. *Die Blume iſt fünfmal getheilt*

a. *ungleichförmig, der Kelch doppelt, der äuſsere hat 3 Blätter, der innere iſt viermal getheilt,* Myrosma.

b. *mit einer zweyfächerichten Steinfrucht,* Thalia.

IV. *Die Blume iſt ſechsmal getheilt mit einer zweytheiligen*

a. *flachen Lippe,* Kämpferia.

b. *umgerollten Lippe, der Kelch dreyblätterich,* Canna.

V. *Die Blume iſt dreyſpaltig mit länglichtem Honig-Behältniſſe und 1blätterichtem Kelche,* Renealmia.

VI. *Die Blume iſt vierſpaltig mit eyrunder Lippe; der erſte Lappe ſtehet etwas ab,* Amomum.

VII. *Die Blume iſt in 6 Abſchnitte zerſpalten, bauchicht, 2 Seitenlappen ſind ausgerandet,* Alpinia.
Rother, portugieſiſcher Baldrian, S. Klaſſe III.

B. *Einſaamige,*

a. *es fehlt der Kelch, die Blume beſtehet aus einem Blatte, iſt glockenförmig,* Boerhaauia.

b. *der*

b. *der Kelch beſteht aus einem Blatte; die Blume fehlt*, Salicornia.

II. Zweyweibige.

A. *Pflanzen, nach allgemeinem Begriffe,*
a. *die Blume zweyblätterich, der Kelch mangelt,*
1. mit einem Saamen, Coriſpermum.
2. mit einer zweyfächerichten Kapſel, Callitriche.
b. *die Blume fehlt, mit 1 Saamen,*
1. der Kelch iſt dreyfach geſpalten, beerartig, Blitum.
2. der Kelch iſt viermal getheilt, über deren Frucht-Knoten, Mnianum.

B. *Gräſer. Der Kelch beſteht aus einem 1 blütigen Bälglein; die Blume hat ein Bälglein mit 2 Speltzen*, Cinna.

In Syſtemate vegetab. ab Ill. Murray ſecunda vice 1784. edito huius claſſis plantae ſequentibus characteribus determinantur,

MONANDRIA,

Monogynia,

* Scitamineae, inferae, fructu loculari infero

Renealmia Corolla 3 fida, nectario oblongo, calix 1 phyllus, bacca carnoſa,
Amomum Corolla 3 partita, labio ouato,
Curcuma Corolla 4partita, labio ouato, ſtam. 4 ſterilia,
Thalia Corolla 5partita, drupa nucleo 2 loculari,
Marantha Corolla 5fida ringens, labio 2partito magno,
Myroſma Corolla 5partita irregul. cal. duplex,
Kaempferia Corolla 6partita, labio 2partito plano,

Canna Corolla 6partita, labio 2partito reuoluto, cal. 3phyllus,
Alpinia Corolla 6fida ventricoſa, lobis lateralibus 2emarginatis,
Coſtus Corolla ringens, labio 3fido, medio emarginato,
Valeriana rubra, calcitrapa, vid. Cl. III.

** *Monoſpermae.*

Boerhaavia Calyx null. Cor. 1petala campanulata,
Hippuris Calyx null. Cor. nulla,
Salicornia Calyx 1phyll. Cor. nulla.

DIGYNIA.

* *Plantae.*

Coriſpermum Cal. null. cor. 2petala ſemen 1.
Callitriche Cal. null. cor. 2petala, capſ. 2locul.
Blitum Cal. 3fidus baccatus, cor. null. ſemen 1.
Mniarum Cal. 4partitus ſuperus, cor. null. ſemen 1.

** *Gramineae,*

Cinna Cal. gluma 1flora, cor. gluma 2valuis.

Licet autem maxima pars operis Ill. Murray merito tribui debeat, pro ſuſcepto tamen labore Cel. Weizenbeckio gratias agimus et vehementer optamus, vt Tabulae illae, hinc inde forſan emendandae, in latinam linguam translatae, in maximum certe disquirentium commodum euulgentur; namque obſcura ſaepiſſime manent, quae in Botanicis germanice exponuntur.

Sed

Sed ſatis de his tabulis plantarum ſynopticis, transeamus nunc ad

CLARISSIMI ET NOBILISSIMI

CAROLI GOTTLOB NEVMANNI

Commendationem, Eumque ad exercendam medicinam egregie ſe praeparaſſe, ex Eius uitae curriculo adparebit:

Ego CAROLVS GOTTLOB NEVMANN primam huius vniuerſi lucem conſpicui Oberſchario, pago prope Fribergam, ipſis Calendis Ianuarii MDCCLXV., vitamque adhuc iucundam debeo cariſſimo Patri IOANNI GOTTLOB, *Chirurgo practico, Matri vero dulciſſimae* IOANNAE SOPHIAE, *e gente* BEVTNERIANA. *Qui parentes optimi, eadem, qua me acceperant, cura, inſtitutionem ampliorem, quam domi expectari poterat, mihi parandam, aſpirantes, Gymnaſii Fribergenſis diſciplinas vt in vſum verterem, curarunt. Ideoque me tradebant* M. HECHTIO, *Lycei modo commemorati Collegae tertio, cuius et indefeſſum in docendo ſtudium, et in aetatis puerilis vitiis emendandis inquieta cogitatio, piae memoriae mihi ſemper inhaerebunt. Quae vero ille Vir Praeſtantiſſimus imperfecta relinquebat, haec pari induſtria conficere flagrabat* Dn. HVEBLER, *Scholae Conrector, cui propterea eodem animo continuae gratiae ſunt agendae. In animi vero dotibus, exquiſitiorem culturam ac emendationem requirentibus, inprimis aeque facilem ac fidum ſe praebuit* Dn. IVENGER, *Rector illius Scholae. Tempore vero, quod ſtudium ſcholaſticum poſtulat, praeterito,*

terito, hanc inclytam Musarum sedem adibam Ao. MDCCLXXXVI. nomen professus coram Excellent. MEERHEIMIO, *tunc Rectore Magnifico. Arte salutari iam a primis annis vehementer delectatus, eam inprimis tractandam elegi, cui tamen, quae antemunienda sunt, tanquam fundamentum, anteposui. Hinc e scholis Logicis, a* b. IEHNICHIO, *Philosoph. Prof. Extraord. apertis, multum vtilitatis reportans, Physicas adibam, vbi vberrimo cum fructu docentem audiebam* Excellentiss. TITIVM, *cui, quae in rebus naturalibus diiudicandis et cogitandis teneo, gratissima debeo mente. Historiam naturalem ex ore* Experientiss. LANGGVTHII *hausi, et tanto, quantum vix satis laudare possum, emolumento; hinc, quae mens pia postulat, Illi tribuam, vtpote cum praecepta Artis Obstetriciae mihi quoque ab Eodem sint tradita. Qualem vero erga me se praestitit* Experientiss. NVERNBERGERVS, *id pectus magis sentit, quam os enunciare potest. Etenim quae mihi ab Illo exposita sunt in Osteologia, Myologia, Splanchnologia, Herniologia, Physiologia, Diaetetica, porro et in Re herbaria et docenda et ante oculos monstranda, quae mihi ostendit in corporibus mortuis dissecandis, tantum gratiarum actionis studium excitant, vt ad illud enunciandum vix tempus sufficere merito putem. Quid vero dicam de animo paterno, quo discipulos suos excipit* Experientiss. LEONHARDI, *Cuius in me tot tantaque prostant documenta, vt in illis enumerandis iam memoria haesitet. Quae enim didici in Materia medica, Pharmacia, Arte formulas medicas conscribendi, in Chemia, Pathologia, Chirurgia, Medicina legali, quanta diligentia ingenii vires exercuit in quaestionibus, ex medicina theoretica et practica propositis, id tantum artis incrementum effecit, vt in omni eius exercitio*

felicita-

felicitatem et fructus ab Illo ad me profecturos, grata memoriae ac recordationis perpetuitate pie recolere pollicear. Quem vero me peiorem quis vnquam cognoſceret, ſi memoria mea elabi patiarer beneficia innumera, accepta ab Experientiſſ. BOEHMERO, *qui doctrinis ſuis Therapeuticis et clinicis tot tantasque adiunxit admonitiones, vt, et intelligenda arte, et exercenda, ſicuti omnes, quibus contigit Eum docentem audire, et ego fierem prudentior. Continuis immortali Numini pro Eius incolumitate, omniumque Praeceptorum meorum ſalute, precibus ſupplicabo. Quibus Lectionibus omnibus, paulo diutius tractandis, finem inopinatum impoſuit triſtiſſimus de parentum ſanitate adverſa nuncius, cui vt aures obſequentiſſimas praeberem, poſtulabat pietas. Hinc igitur decenter rogabam, vt Ordo Medicorum in examine pro Candidatura et libertate artis faciundae, ſeu Praxi in arte medica, vires tentarentur meae exiguae. Quod mihi, placido conſenſu, ab hoc Ordine gratioſo conceſſum beneficium ſummum praedico, pias continuo fundens preces pro Praeceptorum et Facultatis medicae Membrorum Honoratiſſimorum incolumitate.*

Dignus itaque inuentus, cui aditus ad ſummos in Medicina honores acquirendos aperiretur. Sub Praeſidio igitur EXCELLENTISSIMI ET EXPERIENTISSIMI D. NVERNBERGERI Anatom. et Botan. Prof. Publ. Ord. Fautoris et Collegae Honoratiſſimi Inauguralem Diſſertationem *de Vano morbi boum gallici carnisque inde male infectae et inſalubris metu* publice ventilabit. Ad quem Actum, praeſentia ſua ſolemni-

ſolemniorem reddendum, MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PERILLVSTRES LIBEROS BARONES, PROCERES FAVTORES ET CIVES, OMNI, qua par eſt, obſeruantia inuitamus, nosque ad omnia officia viciſſim paratiſſimos profitemur.

P. P. Dominica XIX. p. Feſt. Trinit. MDCCLXXXX.

VITEBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.